



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio IV. De modo cognitionis Diuinæ à viatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

portio, summa, nimirum simplicitas, est claritas, summa videlicet Dei puritas. Etenim (inquit Dionysius c. 4. de Diuinis nominibus,) *per simplicem pulchrorum omnium naturam, omnis pulchritudo, & omne pulchrum, una & simplici ratione, secundum causam omnem subsistit.* Deinde à posteriori ostenditur eadem pulchritudo ex operibus Dei. *Magnorum enim creator* (inquit Hilarius l. 1. de Trinitate,) *in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est, & cum omnem sensum supergreditur operatio, omnem tamen sensum, necesse est ut supergrediatur operator.*

Quid autem sit pulchritudo illa ex dictis patet: quanta verò sit colligitur ex iisdem capitibus, Deus enim est fons & effector totius pulchritudinis quæ apparet in hominibus, in Angelis, &c. Eamque in se totam collectam tenet vnicissime ac eminentissime, imò infinitè illam vincit, aded ut tota illa pulchritudo, diuinæ comparata, sit instar nihili. Deinde formaliter est pulchritudo infinita, est eminenter, & obiectiue, vnde illius sola visio tantam parit delectationem, ut æterno tempore hominem efficiat beatum, imò nec libertatem relinquat ad amandum sed voluntatem totam rapiat necessariò ad amorem, satisfactas gaudiorum cum vultu tuo.

Dei bonitas. Bonitas præterea Dei naturalis, non est aliud, quam infinitas, & plenitudo totius esse quatenus ut dixi, appetitum ad amorem mouet, de bonitate autem morali quæ dicitur sanctitas, & de bonitate beneficentia quæ dicitur benignitas, alter erit dicendi locus nunc dicere satis est meritò dixisse Dionys. c. 4. de diuin. nom. *Hanc esse primam Dei appellationem. Bonum Deum* (inquit Synesius oratione de Regno) *ubique prædicant omnes ubi vis terrarum populi tam sapientes quam imperiti, idque vniuersi vno consensu, & una voce profitentur licet quod ad alia variis sententiis discrepent.*

Dei perfectio. Denique perfectio Dei eandem designat infinitatem, dicitur enim perfectum cui nihil deest. *Deus est* (inquit Alcinous c. 10.) *ἀνορένς, δερτένς, παρτένς, se ipso perfectus, quia nullius eget, semper perfectus, omnis perfectio.*

Immutabilitas Dei. Dico secundò, immutabilitas Dei perfectio est, ratione cuius nihil acquirere Deus potest, nihil amittere. Probatum primò ex infinitate, ratione cuius est omne bonum, imò id quo nihil cogitari potest melius, in quo non potest esse melius aut deterius. *Non habet* (inquit Fulgentius epist. 6. c. 4.) *ubi proficiat, ipse in melius, aut vnde in deterius deficiat; ille quod est semper est; & sicut est ita est, non in se habet posse non esse quod est, quia nec in se habet non esse posse quod non est, vide cætera.* Secundò probat summa simplicitas. Tertiò ætetas, *incrementa originem monstrant* (inquit Nouatianus l. de Trinit. c. 4.) *& detrimenta mortem, atque interitum probant.* quod natum non est nec mutari potest. Quartò probat actus puritas, vno verbo habet omnia: ergo nihil ei potest accedere, habet per essentiam, ergo nihil decedere.

Immensitas Dei. Immensitatem diuinam probat primò infinitas, secundò immutabilitas. Definitur perfectio ratione cuius Deus totus intimè præsens est omnibus locis, & rebus interminabiliter. Consistit omnino in duobus. Primum videtur expressum esse ab Hilario infusus & circumfusus; quod intra & extra omnia sit. Secundum quod omnia sint intra Deum. Probari hæc omnia ex scripturis, patribus, ratione eximè possent vide Petauium l. 3. a. c. 7. quantum hoc sit xpendit optime Lessius l. 2. de Attributis.

Æternitas Dei. Æternitatem Dei rationes eadem probant, de cuius essentia est carentia initij, carentia finis, carentia vicissitudinis & mutationis, interminabilis, tota simul & perfecta possessio.

Vnitatis Dei. Dico tertiò Dei vnitatem vel potiùs vnicitatem

probant omnia Dei nomina & attributa. Primò quia est summè magnus, summè pulcher, &c. Deus cum summum magnum sit, si non vnus est non est, quia scilicet ut aliquid sit Deus debet esse supra omnia, omnium primum & summum, quod autem hoc modo est, vnum est. Secundò quia est infinitus in omni genere, ergo necessariò vnus est, si enim plures sunt vel aliquo differunt, & sic neuter perfectus est, quia vnus caret infinità perfectione quam alter habet, vel in nullo differunt & sic non sunt plures. *Virtus perfecta natura* (inquit Lactantius l. 1. c. 3.) *non potest esse nisi in eo in quo totum est.* Tertiò quia est totus à se per essentiam, si enim per essentiam est singularis, singularitas est illi essentialis quod autem essentialiter est singulare nò potest multiplicari. Quartò ex simplicitate, quia id quo differunt illi Dij vel est de ipsa eisdem necessitate vel extra illam, si primum ergo conuenit omnibus necessarijs: si secundum ergo habet aliquid accidentale. Quintò vnitatem illam Dei contra Polytheistas probant, vnitatis mundi, eius rectissima gubernatio, consensus omnium sapientium, quæ optime persequuntur præter cæteros, Recupitatus toto l. 5. Petauius l. 1. c. 3. & 4.

Alteram Dei vnitatem quæ non videtur esse aliud quam summa simplicitas exposui quantum satis est, q. 2. eximè Augustinus l. de moribus Manichæorum c. 6. *Nihil est esse quam vnum esse, itaque in quantum quodque vnitatem adipiscitur, in tantum est, &c.* reliqua Dei attributa, pertinent ad ea quæ toto reliquo tractatu explicari debent.

QUESTIO IV.

De modo cognitionis diuinæ à viatoribus.

Dixi hætenus quid cognoscere possimus de Deo quoad existentiam, essentiam, attributa, nunc videndum restaret cuiusmodi sit illa cognitio quam viatores habere possunt de Deo, sed naturam tamen, proprietates, & varios eius modos non erit difficile intelligere ex his quæ dicuntur sequenti disputatione de cognitione quidditatiua & intuitiua Dei, quam habent comprehensores, nam ex natura & proprietatibus cognitionis huius, facilis coniectura erit de altera, nunc pauca hæc satis erunt.

Primò natura eius sita in eo est, quod sit abstractiua, id est per species alienas; quia Deum in se ipso non intuemur ut præsentem, sed in creaturis dumtaxat ut speculis & per earum species illum cognoscimus, quam, vocat Apostolus, visionem per speculum in Ænigmatæ.

Secundò quatuor sunt eius proprietates, prima quod sit mediata, ut dixi, quia medijs creaturis attingit Deum, medijs, inquam, illis, ut obiectis & medijs earum speciebus. Secunda proprietas cognitionis huius est, quod sit inadæquata solum, & ex parte ut Apostolus loquitur; quia creaturæ non participant, neque repræsentant pelagus totum essentia diuinæ, sed aliquas tantum, & tenuissimas eius stillas. Tertia quod sit obscurissima, & in Ænigmatæ, quia creaturæ infinitè distant à perfectione Dei, vnde repræsentant Deum quoad an sit, sed valde obscure ac imperfectè quoad quid sit. Quarta denique quod sit appropriata non propria quia est per conceptus obiectiuos communes Deo, & creaturis, quos deinde Deo appropriamus.

Tertiò modi huius cognitionis, duo potissimum à Patribus numerantur Symbolicus, & demonstratiuus. Primus obscurus est per imagines & similitudines. Secundus apertus ut cum Deum dicimus esse bonum, sapientem, &c. Est autem quadruplex demonstratio, per affirmationem, quæ Deo tribuit

Cognitio Dei abstractiua.

Eius proprietates.

Duo modi huius cognitionis.

omnia: negationem, quæ omnia de Deo negat: superlationem quæ Deum exultat supra omnia: Ignorantiam, quæ Deum videt in caligine, & non nisi nesciendo nouit. Vide omnino Petauium l. i.



DISPUTATIO II.

De cognitione intuitiua essentia, ac perfectionis diuina. q. 12.

Videre Deum, est participare Dei vitam.



COGNITIONE obscura, & Aenigmatica quam habent viatores de Deo, intra nebulam, & caliginem, transeo ad visionem illam clarissimam, & facie, ad faciem, quæ beatorum hæreditas est. *Gloria Dei viuens homo* (inquit Irenæus l. 4. c. 3.) *vita autem hominis visio Dei.* Subsistentia enim vitæ participatione Dei euenit, Dei autem participatio, est videre Deum; quæcunque verò hætenus dixi, ostendere aliquatenus possunt quanta & quam stupenda sit magnitudo Dei, nunc quæ dicere aggredimur manifestè demonstrant quàm sit mirabilis eius pulchritudo, quæ defixos beatos tenet aspectu & amore sui, de hac ergo visione ut dicam distinctè quatuor video esse capita ad quæ omnia reuocentur. Primum sit possibilitas eius, & existentia. Secundum principia effectiua. Tertium causa formalis extrinseca, obiectum scilicet tum primum tum secundarium. Quartum causa formalis intrinseca quidditas nimirum, & proprietates.

Partitio disputationis.

QVÆSTIO I.

De possibilitate ac existentia visionis Dei.

Art. 1. 3. 4.

POSSIBILIS erit cognitio hæc immediata, clara, propria, si possit intellectus creatus cognoscere Deum in se ipso, facie ad faciem, & sicuti est, ubi duplex est controuersia. Prima vtrum naturaliter id intellectui alicui sit possibile. Secunda vtrum id sit possibile supernaturaliter.

SECTIO I.

De possibilitate visionis Dei per vim naturalem.

Artic. 4.

POSSE Deum videre naturaliter, est posse producere ac recipere visionem illam tanquam sibi debitam, & proportionatam sine concursu, aut auxilio indebito. Difficultas igitur est vtrum intellectus aliquis creatus aut etiam creabilis sufficientes habere possit vires, ad videndum eo modo Deum sine vlla eleuatione, in qua sanè celeberrima, & difficillima controuersia, video longè facilius esse aliena reicere quàm statuere certè quid dici debeat; quod tamen ut in re obscurissima præstem clarissimè proponendus in primis est.

§. I.

Status difficultatis, & multiplex ratio dubitandi.

Quid sit cognitio intuitiua.

CERTUM itaque primò est visionem intuitiuam essentialiter differre à cognitione quæ dicitur abstractiua, est autem difficile statuere in quo positum sit essentielle illud discrimen; primò enim non in eo differunt, quod cognitio abstractiua, non omnes attingat formalitates quæ sunt in obiecto, sed præscindat & abstrahat vnam ab alia. Intuitiua verò

nulla vtatur abstractione, sed hoc esse falsum ostenditur quæst. 3. Deinde non videntur etiam rectè assignare discrimen istud, alij, quod cognitio intuitiua feratur in rem ipsam, ut actu hic & nunc præsentem & existentem. Hoc enim est difficile, quia possibilia cognoscuntur à Deo intuitiue, & si destrueretur existentia obiecti præsentis, relictâ in oculo eius specie, ac visione, non est dubium quin visio manens esset intuitiua, cum eadem esset, ac prius, alioqui discrimen harum cognitionum esset tantum denominationis extrinseca. Tertio neque rem omnino explicare videtur sententia communis, visionem intuitiuam esse illam quâ obiectum cognoscitur per speciem propriam immediatè illud representantem; abstractiuam, quâ cognoscitur per speciem quæ immediatè representat alterum. Hoc (inquam) videtur difficile, quia potest Deus sine specie propria producere visionem intuitiuam, & sine specie aliena producere abstractiuam. Neque satis est dicere quod Deus suppleat tunc concursum speciei propriæ; nam quaeritur in quo differat concursus iste speciei propriæ, à concursu speciei alienæ. Hoc enim est discrimen visionis, & cognitionis abstractiue quod inuestigamus. Deinde beati ut dicitur postea creaturas intuitiue in Deo vident, sine specie propria, & Deus se ipsum intuitiue videt in creaturis: idèque satis etiam non est dicere quod cognitio intuitiua obiectum cognoscat in se, abstractiua verò in alio.

Certum igitur secundò est verum discrimen ytriusque huius cognitionis esse, quod intuitiua, ita cognoscat obiectum ut est in se ut non cognoscat illud instar alterius, siue prout est alteri simile: abstractiua verò, ita cognoscat illud in alio, ut cognoscat instar alterius, id est prout simile alteri, & veluti proprietatibus eius indutum; hoc enim conuenit, ut patet, cognitioni cuiuslibet abstractiue, nam per eam apprehenditur Deus ad modum *senis*, & Angelus ad modum *iuuenis alati*. Vnde cognitionem hanc vocat Apostolus per speculum, & Aenigma, quia fit per medium imperfectissimum ad cuius similitudinem concipitur Deus; omnibus autem cognitionibus intuitiuis commune est, ut obiectum non apprehendant instar alterius, siue ad modum alterius, ut patet in omni cognitione quâ percipimus obiecta simul cum sensu; nam ea cognoscimus ut sunt in se ipsis, & ut ita dicam ad modum sui, non ad modum alterius: sic visio Dei, attingit Deum ut est in se non autem ad modum, & instar rerum creaturarum, hoc enim vocat Apostolus facie ad faciem, id est sine medio vlllo interposito, cuius instar cognoscatur Deus, sed sicut cogniti à Deo sumus, & sicut ego cognosco hominem, inter cuius faciem, & meam nihil omnino interpositum est, & hoc sine dubio significat vulgaris sententia, quæ cognitionem intuitiuam vocat eam quæ obiectum attingit per species proprias, id est instar sui non instar alterius: abstractiuam quæ fit per species alienas, id est ad modum alterius.

Superesset hic addere quid sit posse facere aliquid naturaliter, quid posse facere obediencialiter siue supernaturaliter, breuiter dico fieri naturaliter posse illud quod ita est proportionatum ut fieri possit sine concursu indebito, & auxilio improporcionado: illud autem fieri non potest nisi obediencialiter, quod est ita improporcionado ut fieri non possit sine concursu & auxilio indebito, ut patet ex his quæ de potentia obedienciali dicta sunt suo loco. Sensus ergo quæstionis est, vtrum cognitio illa Dei ut est in se, & ad modum sui, non autem instar alterius ita sit subtilis, & eleuata ut nullus fieri possit à Deo intellectus, qui elicere vitaliter illam possit nisi eleuatus per concursum indebitum.

Verum discrimen cognitionis intuitiue ab abstractiua.

Quid sit fieri naturaliter aut supernaturaliter.

Ratio